



1. Drejeri f. Chr. / diff. de Conver-
sione Iudeorum, Regiomonti
1691.
2. Ecclestein / Gottlieb / summi Duci
Magnatissimum, ex Gener. III.
v. 22. contra Iudeos, Wittenbergae
1685.
3. Edzardi f. Sebast. / diff. ex Philo-
logia Hebraica, Wittenbergae
1695.

VERITAS
IN
INJUSTITIA
DETENTA,
DISSERTATIONE

Ad Locum Apostoli, Rom. I. vers. 18.
EXCUSSA & DILUCIDATA.

Qvam
DEO BENIGNE ANNUENTE,
CONSENTIENTE R. FACULTATE THEOLOGICA,

PRÆSIDE
JOANNE FECHTIO,

D. & P.P. CONSISTORII SER. DUCIS CONSILI-
ARIO & DISTR. ROSTOCH. SUPERINTEND. FAC.
THEOL. SENIORE,

*PRÆCEPTORE SUO FIDELISSIMO & ÆTATEM
VENERANDO,*

Æqvis differentium judiciis examinandam
proponet

AD DIEM AUGUSTI MDCCX.

JWARUS HILARII BARFOTH,

SCANIA-SVECUS,
PHILOSOPHIÆ CANDIDATUS.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss. Sen. Typogr.

Reverendissimo in Christo Patri,

VIRO

*Magnifico, Summe Reverendo atque
Excellentissimo*

D O M I N O , **D N O . M A T T H I A E S T E U C H I O ,**

Doctori Theologo , de universa Christi Ecclesia
immortaliter merito,

Dioeces. Scaniæ & Blekingiæ
E P I S C O P O ,

Academiæ item Carolinæ
P R O - C A N C E L L A R I O
eminentissimo,

Consistoriique Ecclesiastici
P R Ä S I D I
gravissimo,

D N O . P A T R O N O & M Ä C E N A T I
suo magno,

omni filiali submissione ad cineres usqve colendo,
prosequendo.

Nec non

VIRIS Plurimum Reverendis atq; Doctissimis,

DNN.

DN. ELIAE WETTRING, Pastori
in Ingelstorp & Walleberga.

DN. M. JONÆ FILENIO, Pastori
in Kidþinge.

DN. CAROLO DAHLGREEN, Pastori
in Herresta & Ingelsta.

DN. M. MICH. SVENONIO, Pastori
in Løderup & Hørup.

DN. JOS. BOLMSTADIO, Pastori
in Tryde & Spiudstorp.

DN. OLAO HINDBECH, Pastori
in Qvärresta & Smidzstorp.

DN. HENR. BARFOTH, Pastori
in Øestvrehy & Venesta.

DN. JANO SOMMAR, Pastori
in Hoby.

DN. MICHAELI SODE, Pastori
in Hammehög & Hanuås

DN. ERICO TENGSTEDT, Pastori
in Ullstorp & Vollerup.

DNN. Fautoribus & respective Fratribus omnihonoris
& amoris cultu atatem devenerandis,

Dissertationem hanc Theologicam

Tangvam grati animi monumentum, in sui suorumque studiorum promovendorum,
ulteriorem commendationem& benevolam, B. Parentis HILARI BARFOHDII
Territorii Jægstadiani. Präpositi per complices annos vigilantissimi, recor-
dationem, cum omnigena in Domino, aeterno Rege nostro, felicitatisvoto

Humillime & officiosissime offert ac consecrat

JW. HIL. BARFOTH,

Tandem

VIRO

Plur. Reverendo atque Doctissimo

DOMINO,

DNO. PETRO
JWARI,

Illustris

L. B. GEORGI GYLLENSTIerna,

Legionis Eqvestris Pastori meritissimo, nec non ad
Ædem D. Mariae Eustadii Comministro
vigilantissimo,

Dn. Fautor i atque Avunculo, qvavis
animi veneratione jugiter pro-
seqvendo,

Chartaceum hocce munusculum

in

Piae observantiae testificationem
sacrum cupit

JW. HIL. BARFOTH.



DE VERITATE
NOTITIARUM NATURALIUM,
IN HOMINE IMPIO EXISTENTIUM,
DISSERTATIO.

s. I.



Um per lapsum primorum nostrorum parentum vires hominis in cognoscendis rebus Divinis aut amissas penitus aut corruptas & infirmatas esse, in Ecclesia, qvæ à Romana superstitione secesserat, omnium consensu constaret, de eo, qvod residuum mansisse, sive in iis, qvæ ad primam, sive qvæ ad secundam Decalogi tabulam spectabant, plerorumqve confessione patebat, graves statim ab exordio controversiae sunt enatae.

s. II. Ut verò fieri plerumqve solet, vel in defectu peccatum est, vel in excessu. Et ut de iis nunc viribus tantum dicamus, qvæ ad primæ tabulae eam partem pertinent, qvæ Notitia DEI rerumqve Divinarum nomine vulgo veniunt, his vel robur attributum à qvibusdam est maius, quam quale Divini verbi auctoritas permittit; quo Pelagiani & Semi-Pelagiani & Synergista & Naturalista pertinent, de qvibus agendi nulla nobis nunc est intentio; vel vires naturales infra illum statum depressæ sunt, quem sacrarum literarum tenor iisdem admittitur. De qvibus tamen ipsis non sicut in omnem objecti sui latitudinem disquisituri sumus, sed juxta id tantum, qvod ad notitiarum de DEO naturalium indolem & qualitatem internam pertinet, earum nempe veritatem nunc tantum indagando. Dari enim ejusmodi de DEO noticias, qvæ ex meritis naturæ principiis hauriantur, adversus Socinianos aliasqve, vitandæ prolixitatis causa supponemus. Ut adeo crita omnem ambagem qvaratur: an notitia de DEO natura-

A

les,

les, in quocunque existant, etiam in homine impio & irregenito, sint veræ? Sanctifica nos, ô DEus, in veritate, quia verbum tuum veritas est!

§. III. Locus, quem fundamenti loco tractationi nostræ substerimus, Pauli effatum est, Rom. I. 18. Ἀπκαλύψει τὸ ὄρη
Θεοὺς ἀνέργων Πᾶντας ἀστέρες καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων τῶν
τὴν ἀληφίαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων. Manifestatur enim ira DEI
de celo super omnem impietatem & injustitiam hominum, veritatem
in injustitia detinentum.

§. IV. Cum scopus noster non sit, diffusam circa præsens
oraculum exegesin instituere, sed tantum vim verborum: τὴν ἀληφίαν
ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων, veritatem in injustitia detinere, studiosius
considerare, supponimus, tanquam apud omnes interpres extra du-
bitationem positum, scopum totius Epistolæ Apostolicæ esse, ostend-
sa ex lege salutem consequendi impossibilitate, comprobare, nihil al-
liud relinqui, quam sola in Christum fide justitiam & salutem expe-
ctandam esse. Si enim operari salutem nullo modo possimus, ad gra-
tiam esse configiendum, quæ verò ob justitiam Divinam, cui ob pec-
catum satisfaciendum prius fuerit, nonnisi per fidem in Christum ob-
tingere possit. Ceu hæc totidem fere verbis leguntur Rom. III. 23. s.

§. V. Id ut majori virtute comprobaret Paulus, ostendendū ei fuerat, neminem hominum in universo mundo legem Divinam implere posse. Id inde probat, quia ira DEI manifestata sit de celo super omnem impietatem hominum, neminem igitur hominum esse, quin peccet & legem transgrediatur. Quo pacto manifestetur, (præsentis tum temporis, non præteriti notione) variae sunt, illu-
strantes se potius, quam sibi adversæ sententiae. Placeat nobis Schomeri nostri, acutissimi certè ingenii interpretis, qui revelationem hanc
iræ opponi ait temporibus ignorantiar, quorum in hoc ipso argumen-
to fit mentio, in allegato c. III. v. 25. clarius verò Act. XVII. 30.
Ut adeò sensus sit, cum antea peccatorum atrocitas & universalitas,
quippe in temporibus ignorantiar, tam manifesta omnibusque nota non
fuerit, nunc in prædicando de celo, è quo venerit Evangelii auctor,
Evangelio longe apertissimam fieri. Non quod Evangelium iram
DEI prædicet, sed quod summam fidei Evangelicæ necessitatem præ-
dicando longè manifestissimum fiat, fieri non posse, quin omnes o-

minino



maino homines peccatores sint & iræ pariter Divinæ atque æternæ damnationi obnoxii. Ad tempora Iguorantiae respici, ait pariter Flaccius; manifestari iram DEI præcipue per prædicationem Evangelicam, Gerhardus.

S. VI. *Impietatem* plerique de peccatis contra primam, *injustitiam* de peccatis contra secundam Decalogi tabulam commissis interpretantur, Schmidius vocem unam alteri per ἐπέκτυντις additam esse opinatur, quæ sententia per id probabilis redditur, quod mox eadem vox adiungit & *injustitiam* & *impietatem* includat: *veritatem in injustitia detinent*. Nominat verò *impietatem* & *injustitiam*, species vitiorum grandiores pro ἀμαρτίαις generatis dicit, ponens, quia mox, in quæ enormia scelera & flagitia profusi fuerint passim gentiles, enarrare vellet.

S. VII. Jam verò hæc ipsa peccata exaggerat Apostolus amplus per id, quod ejusmodi peccatores *veritatem in injustitiâ deriuuerint*, id est, sciverint, se male agere & tamen male egerint, Gentiles præcipue respiciendo. Hos enim meliora scivisse sequenti statim versu immuto argumento probat. Quod quia extra dubitationem positum est, fuse de eo dici nihil attinet. Ut verò verborum Apostolicorum: *veritatem in injustitiâ detinent*, virtus evidentior fiat, rem totam certis propositionibus includemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Veritas detenta est ex ipso verborum sono notitia veritatis animo comprehensa.

S. I.

Ditinere enim est complecti & ita quidem complecti, ut tenetas quasi captivum. Non autem ulla ratio excogitari potest, quo pacto veritatem intra animum complecti & tenere & tamen ejus notitiam habere non queas. Igitur τὸ πατέρεν τὴν ἀληθεῖαν est veritatem quidem novisse, & intra animum suum, naturā ipsa dictante, sentire, sed vim tamen ejus & dictata supprimere, nec aliter se gerere, ac si veritatem nullam haberes, nec illa, quid agendum tibi sit, vel aperiret, vel ad illud te sollicitaret atque duceret. De notitia enim

enim rerum ad vitæ praxin spectantium sermonem potissimum Apostolo esse, ex vitiorum, quæ fugienda esse dictaverat natura, exemplis est manifestum. Rem ita sese habere, ex primo hujus loquela conceputu, quamprimum illa auditur, unde verborum quorumlibet significatio dependet, evidenter elucescit.

§. II. Jam secundo idem comprobat locus proorsus parallelus, Rom. II. 14. 15. Ubi lex dicitur inscripta in cordibus gentilium, iisdem, quid faciendum sit, quid fugiendum, non dictans tantum, sed præcipiens. At quomodo lex animo hominis inesse, eidemque præcipere potest, nisi homo noverit, quid præcipiat? Quomodo violata lege cogitationes hominis sese vel accusare, vel excusare possunt, si homo ignoret, quid lex vel dictaverit, vel præcepit? Res est tam evidens, ut rationem ipsam in dubium vocaturus sit, qui eandem negaverit. Jam autem idem proorsus sunt, legem bona præcipientem inscriptam esse cordi & tamen bene non agi, ac veritatem in injustiâ detineri.

§. III. Tertiò ipse Apostolus in sequentibus versibus ad finem usque capitis cognitæ hujus veritatis toties mentionem facit, ut oculis carere videatur, qui ea de re amplius dubitet. Quæ manifestior explicatio est verborum: *veritatem in injustitia detinent*, quam illa, quæ ab Apostolo versu statim 21. subjicitur: *cognoscentes DEum, ut DEum non glorificarunt?* Cognoscentes, inquit. Quid porro clarius, quam *τὸ γνωστὸν τὴ θεόν, id quod cognoscitur de DEO*, manifestum esse in gentilibus, DEum enim hoc ipsis revelasse. Non tantum dicit, cognoscere gentiles ea, quæ sunt de DEO, sed manifestum esse, quod cognoscant. Qvis de re manifestâ dubitare possit? Porro gentiles mutarunt veritatem in mendacium, v. 25. Qui vero mutat vinum in acetum, is cognoverit ante vinum necesse est. Denique concludit totum caput Apostolus: gentiles *Ἐπιγνῶντες δικαιούμενοι οἱ οἱ, dum cognoverint iustitiam DEI*, tamen ea patrassæ contra propriam scientiam & conscientiam, quæ iustitia è diametro essent adversa. Quid vero clarius est, quam ipsa litera?

§. IV. Accedit denique universæ Ecclesiæ nostræ in omnibus singulisqve ejus doctoribus consensus, qui uno ore de Notitia DEI naturali ab Apostolo hic agi contendunt. Quorum nomina allegare foret frustraneum.

PROPO-

PROPOSITIO SECUNDA.

Hanc verò veritatis notitiam non falsam, sed veram, imò verissimam esse, iisdem argumentis docetur.

Pramitto verba D. Sebastiani Schmidii, qui dissertationem de quaestione: quæ, qualis & quanta sit Theologia naturalis in statu corruptionis? Gvelferbyti edita anno MDCXC hunc in modum exorditur: *Sunt, qui licet notitiam sive Theologiam naturalem non negent, nec negare possint, nimis tamen ipsa illis sorbet, eamque omnino falsam esse dicunt, si in se consideretur.* E.g. Quando homo non renatus ex principiis Theologie naturalis afferit, esse DEum, esse eternum, invisibilem, &c. honestum esse & aequum, honorare Parentes, &c. tum omnia hæc & singula esse falsissima. Rationem hanc reddunt, quod sint conceptus & notiones hominis non renati. Sententia ècontra orthodoxorum Theologorum hæc est, quod Theologia naturalis in se considerata sit vera, prestans & illustris. Hæc ille.

§. II. Jam verò, quibus argumentis probatur, dari in homine gentili notitias de DEO naturales, iisdem ipsis quoque probatur, eas esse veras. Illa verò in tres syllogismos contrahit idem Schmidius, quos suismet pariter verbis hic adponemus. Primo: quicquid in se consideratum, & ut est in ipsis gentilibus, expressè in Scripturâ vocatur veritas & scientia, id verum est, non autem falsum. Atqui notitia DEI naturalis. Ergo. Deinde: quicquid, ut est scriptum in cordibus gentilium, est opus legis, habet testimonium conscientiæ propriæ, potest accusare & excusare, idque in die extremi judicii, quando Deus judicabit occulta hominum & ita quidem, ut gentiles propterea inexcusabiles sint, id omnino verum est. Atqui notitia de DEO naturalis. Ergo. Denique: Quæcunque doctrina est θεοπατερική δικαιώματος της Θεού, cognitio justitiae DEI, illa est vera, non falsa. Atqui doctrina de notitia DEI naturali. Ergo. Stringunt universa hæc argumenta ita, ut impossibile sit, assensum iisdem non adponi, nisi studio offundere luci tenebras & soli nebulam obducere velis. Quomodo enim falsa notitia veritatis nomine venire potest? Quomodo falsa DEI notitia à DEO in corda scribi?

A 3

Quomodo

Qyomodo opus legis & falsa notitia conscientiae propriæ testimonium perhibere bene & male factorum? Qyomodo accusare & excusare, etiara in extremo die? Qyomodo falsa notitia justitiae DEI cognitio esse potest?

S. III. Probatur vero id secundo ex ipsâ veritatis definitione. Verum enim est, qvod ab intellectu ita concipitur, ut extra intellectum revera est, seu existit. Vera igitur notitia est, cum notitia convenit cum reipsâ conceptâ, seu cum talis est de reipsâ in animo idea, qvalis est res extra animum ipsa. Utpote cum hominem concipio tanquam animal ratione præditum, verus est hominis conceptus, vera notitia. Cum virum divitem concipio tanquam optimus, pecuniam, prædiis abundantem, verus est conceptus, veraque notitia. Cum DEi justitiam concipio tanquam motum, suum cuique tribuentem, verus est conceptus, veraque notitia. Cum omnipotentiam Divinam concipio tanquam vim, mundum & omnia *ποιήσας τέλεσθε*, opera mundi ex nihilo producendi, verus est conceptus, veraque notitia. Neque veritatem impedit, sive rem totam, prout in se est, concipiā, sive quoad partem tantum aliquam, quorum ille conceptus adæqvata rei notitia appellatur, sic inadæqvata, ultraque tamen vera. Sicut verus est conceptus, cum DEum concipio tanquam omniscium & cum concipio tanquam omnes singulasyne in se perfectiones habentem. Ex quo ultrò consequitur, notitiam illam, quæ conceptus de DEo rebusque Divinis format, prout illi in DEo revera sunt, necessario veram esse.

S. IV. Probatur tertio ab effectu vere notitiae, quando ea supprimuntur, vel contra eam peccatur. Manifestatur enim *ira DEi super omnem injustitiam eorum, qui veritatem in injustitia detinuerunt*. Nempe eoipso Divinam iram sentiunt & poenis temporibus pariter atque æternis obnoxii sunt, qui cum veritatem intra animum suum possideant & justitiam Divinam, *τὸ δικαιώμα τῆς θεᾶς, dictatum justitiae Divine*, seu id, qvod justum est coram Deo, *ἐμπρόνων, verè probeque cognoscant*, qvod nempe qui justitiam hanc Divinam lœdunt, *ἄξιοι sint θανάτος, digni morte*, tamen hanc scientiam ex malitia voluntatis ita intra animum detinunt, occultent, supprimant, ac si nullam haberent, id est, sceleris contra propriam scientiam ac conscientiam libere licenterque patrent ac cumu-

ac cumulent, immo, & τυρευδοκῶσι τοὺς πράστατος, iis simul condelectent, qui similia committunt. Si itaque poena Divina peccantibus ideò incumbit, quia vi justitiae Divinæ noverant, peccandum non esse, & tamen peccaverant, vera notitia ea fuerit necesse est. Qvamquam enim puniri etiam possint, qvi vel legem ignorent, vel fallum de eâ conceptum habeant, si scire eam poterant & debebant, de verâ tamen & directâ notitiâ Apostolo sermonem esse, generalis interpretandi regula convincit, qvæ voces qvalibet in propriâ significatione accipere jubet, donec impropria argumentis omni exceptione majoribus fuerit evicta. Ut igitur & iræ & Dei & injustitiae & hominum voces, in versu nostro, dum in propriâ significatione accipiuntur, neque improprietas ulla causa comparet, veram iram, verum DEum, veram injustitiam, verosqe homines nota, ita quid cause fuerit, cur vel à veritate excludatur injustitia, vel ipsum veritatis vocabulum in improprietas carcerem compingatur?

S. V. Denique quartò provocatur non immeritò ad consensum totius Ecclesie nostræ, qvæ ne uno quidem Theologorum, quantum mihi constat, excepto, notitias deo naturales veras esse aduersus Matth. Flacium & Dan. Hoffmannum perpetuò & constanter defendit. Adeo ut D. Schmidius, ceu verba ipsius, in fronte hujus Propositionis adducta, eloquuntur, doctrinam de notitiis Dei naturalibus doctrinam confidenter appellet orthodoxorum; quo pacto doctrina contraria, qvæ hoc negat, heterodoxa & ab Ecclesie nostræ confessione aliena sit necesse est.

PROPOSITIO TERTIA.

Nec notitia illa tantum, cum in pii, sed & cum in impiis existit, vera est.

S. I.

Non opus est hujus propositionis prolixâ probatione; suâ enim ipsa luce radiat. Est notitia illa etiam in gentilibus. Sunt autem gentiles mortui in transgressionibus & peccatis, ambulantes juxta genium hujus mundi, immersi concupiscentiis carnis, naturâ filii iræ. Eph. II. 1. 2. 3. Qvales homines non sunt pii, sed impii. Et ne quis obvertat, de naturalibus notitiis sermonem esse, ergo cum deo.

de earum veritate , qvonam in subjecto illa existat, vel existere non possit , qvæstio sit, naturalem qvoqve , (non supernaturali vel imbutam vel destitutam spiritu) pietatem & impietatem respici debere, tum evidens est , Apostolo Paulo in textu nostro sermonem esse de iis gentilibus , qui notitiam naturalem per impietatem & iniustitiam naturalem captivavit , qvo minus in opera , qvæ pia & justa esse *τῆς φύσεως* noverant, ut par erat, progediatur. Qvod impiorum est, non piorum. Et quid in toto reliquo capite agit Apostolus, quam ut coarguat gentiles, qvod cum meliora per naturam sciverint, pejora egerint? *Cognoscentes DEum non ut DEum glorificarunt aut gratias ei egerunt ; Qvae sunt peccata omissionis. Vani facti sunt in meditationibus suis & obtenebratum est insipiens cor eorum. Putantes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Et mutarunt gloriam incorruptibilis DEi in imaginem corruptibilis hominis & volatilium & quadrupedum & reptilium. Sunt hæc peccata contra primam primariamque legis tabulam. *Tradidit eos DEus in concupiscentias carnis, in impuritatem, in sceleris Sodomitica, in idolatriam, in reprobam mentem, in scortationem, in avaritiam, in invidiam odiumque adversus invicem, in omne flagitiis genus.* Sunt hæc peccata præcipue contra alteram legis tabulam. Qvis non animadvertis, de impiis, immò sceleratissimis flagitiisissimisque inter gentiles, quales per naturæ, non gratiæ abusum fuerant, Apostolo sermonem esse, qvos omnes tamen veritatem & justitiam Divinam vere cognovisse quaterna vice disertis verbis Apostolus profitetur?

S. II. Nec vero opus est , argumenta ejus rei ex Apostolo operose conquirere, cum ipsa experientia id clarius comprobet, quam ut de eo dubitari possit. *Annon natura vos docet, dico cum Paulo, non esse furandum & scortandum, & tamen qvot his vitiis contranaturam, aliud ipsis dictantem, meliora scientes, indulgent?* Cuilibet ipsa per naturam scientia & conscientia illud Poëta dictat: *video meliora proboque, deteriora sequor.* Ut verò in aliis rebus absconum esset id , qvod oculis videmus & manibus tangimus & auribus audi mus, in dubium revocare, deqve eo movere scrupulos, ita cur in præsenti arguento contra ipsos sensus luctari , iisqve denegare fidem velimus, rationem nullam esse ultrò intelligitur.

PRO-

PROPOSITIO QVARTA.

*Notitia in injustitia detenta fructum & effectum
notitiae, non notitiam ipsam interceptam
esse designat.*

S. I.

Ipsa statim Apostoli cum legitur litera hoc insinuat. Est enim, ut
jam supra dictum, κατέχειν, tenere, continere, detinere. Luc.
IV. 42. καὶ κατέχον αὐτὸν τὸ μὴ πορεύεσθαι ἀπὸ αὐτῶν εἰ
& detinebant Christum, ne ab ipsis abscederet. Ita gentiles instam
ipsis notitiam detinebant & quasi captivabant, ne in opera, ab ipsâ
legis notitiâ præcepta, progrederetur & erumperet. Non itaque
notitia quoad se fuit deleta, sed effectus & fructus notitiae, quem
parere ex se & naturâ suâ notitia debebat & ad quem edendum suâ
nativâ indole, quippe practica & legali, destinata erat, fuit per ma-
litiam cognoscentis interceptus. Quemadmodum qui in carcera
compingitur, vivere non desinit, sed effectus tamen & fructus vita,
utpote negotia, qua cuilibet in sua vita genere expediunda fuerant,
suspenduntur & intermittuntur. Quamquam verò vocem κατέχειν,
quæ varia est significationis, alii hoc loco aliter interpretentur, quâ
de refuso libro: *DEus in lumine naturæ representatus*, D.J.A. Osi-
ander, omnes tamen in eo convenient, quod notitia h. l. abjudice-
tur id, quod producere illa debebat, non quod in se & naturâ suâ
possidebat ipsa. Quod verò ad fructum tantum & effectum aliqui-
jus rei pertinet, id si maximè absit, rem tamen ipsam intactam in-
violatamque relinqvit.

S. II. Patet hoc amplius & evidentius ex interpretatione
Apostolica: Ινόντες τὸν Θεὸν ὡς Θεὸν ἰδόξαντο καὶ εὐχαριστή-
σαν, cognoscentes DEum, non tanquam DEum glorificarunt, aut
eidem gratias egerunt. Gratiarum actio & glorificatio fructus sunt,
aut esse certe debebant, notitiae Divinæ. Cur enim cognoscō DE-
um, tanquam creatorem & benefactorem meum, nisi ut eundem
colam & pro beneficiis gratias agam? Qvis potest cognoscere prin-
cipem, qm eundem colat? Qvis patrem, nisi amet? qvis artificem,
nisi admiretur? Ipsa objecti notitia ad affectum me quemcunqve, pro-

objecti indole, inducit, commovet, inflammat. Unde & legis nomine capite secundo venit, quæ hominem, velit nolit, obstringit, obligat, cogit, non externâ quidem, sed internâ coactione. Ut verò ad legis essentiam obedientia legi præstata non requiritur, sed eâ per culpam hominis deficiente, lex verissima est manetque: ita quoque notitia DEI, rerumque Divinarum, si vel maximè glorificatione DEI destituatur, notitia tamen est manetque verissima.

§. III. Subjiciamus nunc unius alteriusque interpretis suffragium, è cæteris memorabilius. D. Dav. Rungius, Disp. IIX. Thes. CXCII. *Has notiones, partim in mentibus hominum reliquas, partim post lapsum, rationis beneficio conclusas, non idèo esse falsas, quia sunt hominis non renati conceptus & notiones, sed veras esse* Διάρρηστην Spiritus S. affrat, Rom. 1. 18. In quo loco veritas DEI notat veros de DEO conceptus, natura notos & ex principiis rationis deductos. Hanc veritatem DEI conqueritur Apostolus detinere ab impiis in injustitiâ, discernens nimirum notiones mente ab earundam praxi, quâ docet, ipsas per se bonas & veras, violentiâ tenebrarum in mente, malitiâ in voluntate & cupiditate cordis pravâ, partim plenè opprimi, partim tot vinculis constringi, ut quem meritò in animo hominis principatum obtinere debeant, tueri minime possint. D. G. Weinrich. in Comm. ad h. l. Significat ἀλήθεα legem nature, quæ est notitia principiorum practicorum, mentibus hominum insita: dicuntur igitur veritatem detinere in injustitiâ, qui contra legis normam & conscientie testimonium, cogitatione idenditem accusante peccant & vel impietatem in DEUM, vel injustitiam in proximum committunt. Est autem peculiaris emphasis in Greca voce ἀλέχειν, detinere. Subindicit enim Apostolus, quod VERITATIS quidem sit ea VIS & NATURA, ut semper conetur emergere, sed dum in EFFECIUM erumpere cupit, ab affectuum laqueis captive instar constringitur, ne quid boni in nobis operari possit.

PROPO-

PROPOSITIO QVINTA.

*Respondeatur ad exceptiones cum Disputationis nobis
adversæ, tum aliorum.*

S. I.
NE videamur ullum auctoris verbum mutando, sensum ejus & vim regestionum vel occultare vel infirmare, verba, quod ad nostrum quidem dictum attinet, & quæ §. XXIX. habentur, quo ad singulos apices adducemus.

S. II. Igitur ita exorditur Disputator: *Annectitur, quod ibidem Rom. I. 18. notitia circa DEum veritatis nomine insigniatur, quæ gentilium vel & Iudeorum fuerit. Insufficientibus vero textum, obvius fit error contradicentium. Veritas enim non ibi tam ipsum animi habitum, quam doctrinam veram designat, seu objectum doctrinale, quod indigni illi intra se notitiâ falsitatis & injustitiae plena detinebant.*

III. Non audet simpliciter dicere Disputator, veritatem ibi non significare habitum, sed non tam, inquit, habitum, quam doctrinam designat. Ergo habitum juxta ipsummet simul significat. Quod si verum est, quâ I. veritate in verbis antecedentibus dicere potuit: *notitiam circa DEUM veritatis nomine insigniri, esse obvium errorem contradicentium?* Non enim dixi, vel solam notitiam vel notitiam præcipue ab Apostolo insinuari. Sufficerat mihi, ad scopum meum profeqvendum, veritatis vocem simul complecti habitum, cum dicatur intra anima retenta. Affectus igitur iniqvi & acerbi indicium est, assertionem meam erroris nomine simpliciter traduci. **II.** Notitiam tamen veritatis ab Apostolo primariò intelligi, quam suppresserint gentiles, Propositione primâ invictè probatum est. **III.** Cum consentiat universus Theologorum Ecclesiæ nostræ inde à Luthero usque chorus, ne unico quidem excepto, quomodo cum hoc consentiente testimonio consistere potest vana adversæ partis jaſtatio: *non dari in homine irregenito veram DEI notitiam, cum detur juxta omnes Theologos vera notitia in omnibus gentilibus, qui sunt irregeniti?* Nec excipere potest Disputator, de homine Christiano irregenito sermonem esse. *Esse enim hac in re*

eandem prorsus & Christiani & gentilis rationem , Disputator noster facile animadvertisit & libentissime confitetur.

§. IV. Pergit verò disputator: *Dicatur notitia uaturalis, veritas, pro hujus generaliore sensu, sed objective, non verò subjective in Paganis sensu Theologico, ut volunt adversarii.*

§. V. Qvæso explica te ipsum, ut te intelligam. Videris enim sub meritis tricis & tenebris te occultare velle, ne videaris, ut quo transfiguras, semper tibi sit in prompru. Quid est veritas in generaliore sensu? Quid est veritas objective, non subjective? Quid est sensu Theologico? Ne Oedipus quidem conjectaverit, quid in generaliore sensu sit veritas? Ego quidem conjicio, veritatem h. l. in generaliori sensu acceptam , Disputatori esse falsitatem Theologicam, seu in sensu Theologico. Sed ne errém, ab aliis expecto ænigmatis solutionem. Distinctionis verò inter veritatem objective & subjective acceptam , qvam ceu unicum causæ suæ præsidium ubique in fronte ponunt, meminit quoque, qvi nunc mihi ad manus est, Reformatæ quidem religioni, sed eidem cum Disputatore sententiae addictus, D. J.F. Miegus, qvi in Disputatione, Heidelbergæ de Cognitione DEI anno MDCLXXIX. habitâ §. X. subjective notitiam, præmissâ ad mentem disputatoris loci Paulini interpretatione, ita describit: *Testatur sanctus Apostolus, veritatem quandam esse, quæ detineatur in injustitia, Rom. I, 18. quomodo veritatis & iustitiae conjunctionem asseruisse videtur. Sed ibi veritas de objecto quidem cognito, minimè de cognitione talium hominum predicatur, quod tum demum laudem eam consequitur, qvum id, quod verum est in seipso, etiam verum sit in cognoscente, ut hanc loquendi rationem à Johanne mutuemur, I. Job. II, 8. Praeceptum novum scribo vobis, quod verum est in ipso & in vobis. Ac velut mendacium proferri potest, etiam cum verum dicitur: ita ueri cognitionem dari, quæ tamen non sit vera, non debet videri absurdum. Eoipso autem, quod veluti per vim veritas ab hominibus detineri dicitur, nullo modo ad tales eam pertinere innuitur, nec magis prodeſſe, qvam videns captiuus iuſtō detentori cœco proſit. Veritas è contra, cui ineſt, facit liberum. Job. IX, 32. Hæc ille.*

§. VI Atq; hæc, qvia mentem disputatoris sine dubio accuratè exprimunt, paulò penitus nobis sunt excutienda. Qvā in reſi responsi modum

modum excedere videor, venia mihi roganda est, qvia hæc objectio
qvasi palladium est totius hujus controversæ, cui hæc innititur, &
in incitorum mentibus speciem aliquam & scrupulum parere apta est.
Itaque I. si veritatis vox, de cognitione accepta, qvæ cognitio est, in vulgatissimo sensu suo, quem apud omnes habet, qui
eandem exaudiunt, capiatur, impossibile est, cognitionem veram
non esse, qvæ rem, ut est, apprehendit. Sic irregenitus verè novit,
Christum esse DEum, DEum trinum esse in personis, qvia nempe
Christum apprehendit tanquam eam personam, qvæ & qualis ab o-
mnibus Evangelistis describitur, tanquam ens infinitum & indepen-
dens, Trinitatem vero personarum, ut talem Trinitatem, qualis
est trium testium, I. Joh. V. 7.. Nec apprehensio hæc, qvoad rem
verbis significatam, alia est, præcisâ salutari ad praxin applicatione,
in regenito, alia in irregenito. II. Si per cognitionem DEI intel-
ligatur cognitionis practica, (qvæ non est prima & maximè propria
vocis cognitionis significatio; palam enim est, cognoscere propriè
& primò ad intellectum tantum pertinere, πειπτον verò ad volun-
tatem, adeoque si cognitioni addatur τὸ πειπτον, jam cognitionem
non amplius in propriissimâ suâ significatione relinqui, sed per
τὸ πειπτον compositam quandam significationem oriri, ex cogni-
tione & eo, quod cognitioni per accidens adjunctum est, confla-
tam:) tum hæc ipsa cognitionis practica dupli modo intelligi potest;
primò in se ratione naturæ suæ intrinsecæ, & sic cognitionis practica est,
qvæ ex naturâ suâ ad praxin dirigit. Sic hæc propositio: parentes
sunt honorandi, & cognitionis propositionis practica est, qvia quam-
primum auditur, me ad honorem parentibus habendum, quantum
in se est, dirigit & dicit, & hunc ipsum in finem inventa & facta est
hæc propositio, ut me ad honorandos parentes inducat. Et hanc vim,
hanc naturam, hanc indolem, habet & retinet hæc propositio & ejus
notitia perpetuò, si vel maximè nemo hominum unquam per illam
ad honorem parentibus habendum induceretur. Deinde practica
cognitionis cum εἰ φάσῃ dicitur, qvæ non tantum apta per naturam
suam est ad praxin dirigere, sed qvæ effectum ipsum directionis &
finem notitiae practicæ, qui est actio ejus, quod cognosco, actu asse-
quitur. Quando non tantum novi, qvid mihi faciendum sit, sed
quando id actu ipso facio. Illustrari hæc possunt aliis similibus ter-

minis. Ita vocatio DEI ad gratiam aliquando significat tantum invitationem Divinam, quæ per se & naturā suā cō tendit, ut nos invitationi morem geramus & credamus. Et hæc vocatio vera vocatio est, quamquam is, qui vocatur, vocationi non obtemperet. Ita accipitur Matth. XX. 16. Aliquando verò significat non tantum invitationem Divinam, sed complectitur etiam obsequium, invitationi præstatum. Ex. gr. Ep. Judæ v. r. Rom. IIX. 30. Quemadmodum autem vocatio, hoc posteriori sensu accepta aliquid addit vocationi, priori sensu acceptæ, quæ tamen propriissimè dicta vocatio est & omne id habet, quod vera vocatio habere debet, id verò, quod ei additur, veritati & essentiæ vocationis nec addit quicquam nec demit, sed additum illud hoc tantum indicat, finem vocationis re vera impetratum esse: ita & cognitio practica, cum επαφάσ, impetrati finis cognitionis accepta, cognitioni practicæ nudæ, quæ tamen verissimè propriissimeque dicta cognitionis practica est, aliquid addit, quod additum tamen cognitioni practicæ in se nec addit quicquam nec demit, cum etiam sine hoc addito totam veritatem & essentiam cognitionis habeat & id, quod additum est, finem tantum cognitionis practicæ, qui ei externus est, (cum omnis finis essentiæ rei ipsius sit externus;) impetratum esse significat. Si itaque accurate logi velimus cognitionis practica cum effectu suo minus verè & propriè, saltem quoad formam & essentiam, est cognitionis practica, quam cum consideratur præciso illo effectu. III. Non potest hoc omnino dissideri Miegus in verbis allegatis. Cum enim inquit, tum demum laudem consequi cognitionem, cum id, quod verum est in seipso, verum sit in cognoscente, non ad cognitionis essentiam, sed laudem, ob finem nempe adeptum, pertinere veritatem, ut vocat, in cognoscente agnoscit. Quemadmodum qui solidam habet iuris scientiam, à legum tramite non aberrantem, veram habet iuris scientiam, laudi tamen ei est, si hanc cognitionem in praxin deducat, nec sciat tantum justa, sed & agat. IV. Utriusque hujus cognitionis Divinæ practicæ, ejusque veræ exempla sunt in Scripturis. Nam gentiles & Judei cognovisse DEUM dicuntur, & quidem verè, Rom. I. 18. qui tamen secundum praxin cognitionis illius non vive runt. Ridiculum ferè est, quod ad h. l. à Miego excipitur: eo ipso quod veluti per vim ab hominibus detineri dicitur, innui, nullo modo

ad



ad tales eam pertinere, nec magis prodeesse, quam videns captivus injusto detentori cæco proficit, veritas è contra eum, cui inest, faciat liberum, Job. IIX. 32. An enim ideo videns captivus verè non videt, quia cœcus eum captivum tenet? Aut qui captivum eum tenet, oculis captivi ad ductum & ambulationem uti non potest? De veritate præterea notitiae sermo est, non de ejus usu & fructu. Evidens est ex hac Miegii response, qvomodocunqve & qvocunqve se vertant contrariae sententiae defensores, ut praxin ad formam notitiae DEI pertinere, adeoque ab eâ Scripturæ phrasî inseparabilem esse probent, tandem tamen recurrere necesse habere ad id, qvod praxis pertineat potius ad notitiae finem usumqve, quam ad ejus formam. Et quam absurdum est, qvod Miegius, amore sententiae contrariae abreptus, dicit, nullo modo veritatem ad tales eandem detinentes pertinere? An enim captivus nullo modo ad eum pertinet, qui eundem in custodiâ tenet? Et quid est, qvod statim adjicitur: sciebant, DEum esse, neque tamen glorificarunt, ut DEum? Anne falsò sciebant, DEum esse, adeoque secundum falsam hanc cognitionem laudare eundem debebant? An ideo sunt inexcusabiles, quia vel nullam vel falsam de DEO notitiam habuerunt? Quid & illud? Jusitiam DEI sciebant & tamen non faciebant? Anne & hic interpretationem exculpes, qvod tales nullo modo justitiam DEI sciverint? Vide, quo fixe semel animo sententiae, ut defendi possint, deducant! Veritas verò liberum facit, secundum effatum Christi, quantum in se est, non semper in eventu, ob hominis vitium, qui veritatem complectitur. Qvod captivatur hominum malitiâ, qvomo- do physica qvapiam necessitate faciet liberum? Qvod potest mutari in mendacium hominum proterviâ, qvomodo semper libertateni. Spiritus à vitiorum dominio exemptam & ad bona propensam efficiet? Manet itaque, cognitionis DEI & qvidem veræ phrasin de cognitione practicâ eâ, ubi praxis actu ipso non sequitur, sed ejus potius contrarium, in Scripturis evidenter usurpari. V. Cum dicit Miegius: Qvod verum est in scipso, etiam verum sit in cognoscente, idque ad solam notitiam vivam & praxi conjunctam applicat, qvilibet, solum verba audiens, illico animadvertisit, id non minus verè applicari posse ad notitiam quamlibet aliam, etiam praxi carentem. Quando enim, qvod extra intellectum verum est, si ab intellectu sub ratione illâ

veri

veri apprehendatur, non verum etiam fiet in cognoscente? DEum in se esse justum, in se verum est, id si apprehendat intellectus, etiam in cognoscente, seu cognoscenti verum erit, hoc est, is, qui cognoscit, cognoscet esse verum. DEum ideo, quia justus est, esse colendum & timendum in se verum est, id si apprehendat intellectus, etiam in apprehendente verum est, quomodounque is sit comparatus, dummodo apprehendat & intelligat. Veritas enim, quæ ante in abstracto talis fuerat, cum cognoscitur, cum cognoscente, concrescit & unitur & subjectum cognoscens verè cognoscens facit. Evidem non diffiteor, vocem veri, cognitioni additam, nonnunquam & modum insinuare, quo quid cognoscitur, niemp̄ non tantum verè, sed & rectè atque fructuose. Quam ambiguitatem vitare Miegius poterat, si dixisset: non omne, quod verum est in seipso, statim rectè & fructuose ab intellectu cognoscitur. Veritati in se accedere debet rectitudo intellectus, vel voluntatis potius, si veritas fructuosa esse intelligenti debeat. Est itaque verum hoc sensu idem quod rectum, legitimum, debito modo applicatum, ad verum finem directum. Germani hanc ita acceptam veritatem, ut à veritate, propriè & in communi sermone usitatâ, discernant, vocant *ein rechtschaffenes Wesen*/ ceu Lutherus *ἀληθίαν* vertit, Eph. IV. 21. Idem alibi Israëlitam *ἀληθῶς* reddidit einen rechten Israëliten/ Joh. I. 48. Sed non ideo, quia hæc significatio nonnunquam veritatis voci attribuitur, alteram, quæ tamen communis est & ordinaria &, quamprimum auditur, nisi aliud aliunde constet, intellectui illabitur, planè absorbet aut perimit. Utrumque verum est: res extra intellectum vera, cum ab intellectu, ut vera est, cognoscitur, etiā recto modo & legitimo fine non cognoscitur, verè tamen cognoscitur, de veritate, quæ tali loquendo: & res extra intellectum, cum ab intellectu debito modo & legitimo fine non cognoscitur, verè non cognoscitur, de veritate rectitudinis moralis & finali loquendo. VI. Locus Johannæus intellectu adeò difficilis est, ut inter se interpretes non convenient. Schmidius mandatum de dilectione verum vocari putat *in Christo & in vobis*, quia in utroque fundamentum firmum & immotum inveniat. Nec aliter ante ipsum Rappoltus, immò in commentariolo nuper edito *Lutherus*. Quid sit, de cognitione in loco Johannæo nec verbum est, nec indicium

cium ullum. Denique VII. non possunt inter se comparari due istae propositiones: mendacum dicit, qui verum dicit: &: verum cognoscit, qui verè tamen non cognoscit. Ratio est, quia qui dum verum dicit & tamen mentitur, verè non dicit, neque animo verum dicendi, sed potius alterum fallendi; at qui verum cognoscit, et si id non faciat animo, verum illud faciendi, tamen ideo verè cognoscit, quia id facit animo veritatem complectendi & profundi. Nec enim irregenitus, vera cognoscendo, aut fictè aut simulatè agit, sicut qui vera dicit, & tamen vera dicendo decipit, sed vera non serio tantum agnoscit, sed nonnunquam etiam ex toto animo iisdem assentitur. Verè, non fictè & simulatè, credit, DEum esse, (nisi forte omnis irregenitus sit atheistus, quod absurdum.) verè, non falso, credit, DEum esse trinum, DEum misericordem Filium suum in mundum & per eundem salvos nos reddere velle; & de his similibusque aliis intra conscientiam suam convictus est auctoritate verbi Divini, cuius credit DEum immediatum auctorem esse. Nec enim *ασφάλειαν* hanc verè Divinam vel amittit, quando in peccatum mortale incidit & regenitus esse definit, vel habere non potest, nisi sit ante regenitus. Immò hæc ipsa convictio primus gradus est ad regenitaram. Priusquam enim quicquam mysteriorum Divinorum credas, aut tibi persuaderi sinas, ante omnia de verbo Divino, ejusque Divinitate, tanquam credendorum principio, persvasus sis oportet. Hanc certitudinem nisi haberás, assensus vel fides inde hausta non est fides, sed mera opinio, per quam ad fidem justificantem, tanquam per medium causale, deveniri nullo pacto potest. Nec tamen qui Scripturam verbum Divinum esse credit, ille statim omnibus veritatibus Divinis assentitur. Per gradus convertit Spiritus S. nec uno momento omnia in convertendo operatur, cum conversio non fiat in instanti, sed successivè. Uno itaque fidei articulo, aut ipso etiam credendorum principio, fide à Spiritu S. excitata credito, non statim salvifica fides, aut plenaria conversio & regeneratio adest, sed cætera successu longi sepe temporis à Sp. S. qui in operando nunquam delassatur, perficiuntur. Quæ ut clara & indubitate sunt: ita ostendunt, veram sepe de complurimis ad fidem pertinentibus notitiam habere, verèque & ex animo, etiam à Sp. S. convicto, non fallaci simulatione, iisdem fidem adhibere posse, qui tamen non est renatus.

§. VII. Nunc redeamus ad Disputatorem nostrum. Is itaque ita excipere pergit: *nemo eximiam hanc differentiam non videbit, modo observetur, quod veritas illa v. 19. sit τὸ γνῶσθαι τὸ Θεόν, id quod de DEO cognosci potest, & quidem v. 25. ipsa veritas DEI, quam Ethnici transmutarunt, non modo τὸ ψεῦδος, in mendacium, sed omnino τὸ τῷ Ψεύδει, in ipso mendacio, quo ipso naturalis notitiae status corruptissimus, velut radix ejus transmutationis perverse accusatur.* Quid tandem itaque est, quod talem cognitionem appellare falsam & mendacem dubitemus, quam infallibilis autor Ap̄polo^s ipsum mendacium esse proclamat?

§. VIII. Rogo denū, quisquis es, ut, quocunq; polleas ingenio, sensum ex his tenebris mihi exculpas. Si quid ego capere possum, hæc erit sententia. Differentiam illam eximiam & præstantissimam inter notitiam objectivam & subjectivam ipse textus Paulinus clarissimè ob oculos ponit. Nam τὸ γνῶσθαι τὸ Θεόν, non est, quod cognoscitur de DEO, sed quod cognosci potest. Potest autem doctrina objective, non ipsa notitia, subjectivè cognosci. Quod amplius ex eo patet, quia doctrina illa paulò post vocatur veritas. Hanc autem doctrinam, hanc veritatem, transmutarunt gentiles, non in mendacium, cum Divina objecta in Diabolica mutari nequeant, sed transmutarunt in mendacio, h.e. in corruptissimo naturalis notitiae statu, qui ita corruptus est, ut nihil sit in homine notitiae veræ, sed mera falsa & mendacia. Non credo, alium sensum quacunq; arte erui posse. Nunc igitur ex Disputatore qvārere licet I. an ullum vestigium hujus interpretationis apud ullum vel veterem vel recentiorem Scripturarum interpretem, una cum sententia ipsa, in corruptissimā hominis naturā omnia falsa, omnia mendacia esse, nec dari ullam notitiam naturalem subjectivam veram, reperiatur? Cumq; hoc fieri nequeat, annon recte objiciatur Theologis Halen-sibus, quod novationibus sint dediti & ab unanimi reliquorum Theologorum omnium doctrina recedant? II. Annon notitia objectiva sit ipsa doctrina, extra subjectum considerata, subjectiva verò eadem doctrina, qvatenuis in subjecto recepta & in ejus notitiam deducta est? Ut adeò subjectiva notitia sit nihil aliud, quam scire & cognoscere doctrinam? Impossibile est, rem aliter scire habere. Jam quo-

ties

ties in nostro capite dicitur , gentiles cognoscere veritatem & justitiam ? Quid autem est cognoscere aliud , quam in intellectum subjective recipere ? Non sunt ad ipsam meridianam lucem oculi claudendi . III. Nulla est consequentia : intellectus hominis est corruptissimus : ergo veritatem nullam complecti potest . Nam non obstante hac corruptione tamen *præsentes cognoscit* . Quantum de DEO cognoverint gentiles , innumera , quæ hodie supersunt scripta abundantissimè testantur . Non est experientia , sole clariori obliterandum . Rectè Schmidius supra : *Theologia naturalis , in se considerata , vera est , præstans est , illustris est* . IV. Contradiccio est in adjecto , *tū præsens tu Deus , quod cognosci potest de DEO , præse-
cis est in auctoritate , IN ipsis gentilibus manifestum esse , & tamen* gentiles non cognoscere veritatem subjective . Cum inexistere character sit rei , intra subjectum latens , illudque affidentis . Non sunt ipsa omnium scientiarum principia in dubium revocanda . V. Non sequitur : gentiles mutarunt veritatem in mendacium , (nam mutare in ipso mendacio adeò absolum est , ut quamprimum auditur , fastidium pariat . Vide interea de hac casu permutatione Drusium ad h.l.) ergo non habuerunt subjective sibi inexistentem veritatem . Planè contrarium sequitur . Quomodo enim mutare potuerunt , quod non habuerunt ? Præterea mutarunt veritatem cum mendacio , ut rectius verti putat Schmidius , non ipsam veritatem abjiciendo , sed effectum alienum veritatis , quam qualiter per naturam suam habere debebat , substituendo . Ita enim mutarunt veritatem , ut cogitationes , seu conscientia ipsorum ex insitis , neque planè emortuis principiis , eosdem subinde vellicaret & accusaret . Rom . II . 15 . nihilominus . Vellicare autem non posset , nisi notitia , quæ vellicationis fundamentum est , iisdem adhuc subjective inexisteret . Quare VI. non ipsa notitia naturalis , sed ejus abusus , in quem deflexit , mendacium vocatur . Quomodo enim Apostolus , quod antea aliquoties Divinæ veritatis , & quidem cognitæ , titulo condecoravit , nunc sui oblitus non sine blasphemiam mendacii crimine conspurcaret ?

§. IX. Audiamus vero porrò Disputatorem nostrum , qui hunc in modum pergit : neque alia mente v. 21. legitur : cum cognoscerent DEum , non ut DEum glorificarunt . Ut enim in superiori-

bus ostensum, quoad vera est cognitio DEI, inseparabilis simul ad-
est glorificatio ejus, ut DEI; quod esse conseqvens ubi abest,
cognitio ibi non locum habet vera, sed mendacium potius, Theolo-
gice & Apostolicè sumptum, se patefacit. In promptu exinde est
argumentationis hujus quoque limitatio: si notitia natura-
lis, ita subjectivè accepta, ut eā non cognoscitur Deus, ut Deus,
sed transmutatur in mendacio, est veritas, sequetur, notitiam DEI
naturalem Etnicorum ipsam veram notitiam esse. Sed absurdum
est antecedens. Ergo & conseqvens. Iterum simile judicium erit
de notitia Christiane doctrine apud irregenitos; at non sine discri-
mine antea observato, semperque subaudiendo.

S. X. Denuò ex his tenebris exculti nulla arte potest, quem-
nam sensum, aut quam paraphrasin facere Disputator velit verborum,
à se adductorum: cum cognoscerent DEum, non ut DEum glorifica-
runt. An forte hanc: cum cognoscerent quidem DEum, sed non ut DE-
um, etiam non ut DEum glorificarunt? Aut hanc etiam: cum falso &
mendaciter cognoscerent DEum non ut DEum glorificarunt? Aut hanc
denique: cum ita cognoscerent DEum, ut notitiam ejus in mendacium
converterent, DEum non ut DEum glorificarunt? Anne hic talis sensus,
quamdiu Ecclesia N. T. stetit, cuiquam mortalium in mentem vel
venit, vel venire potuit? Studio reticuit Disputator verborum ~~magis~~
~~magis~~, ne absurditas oculis statim cum lectione illaberetur. Jam
quomodo hi sensus, hæ connexiones cum toto contextu consistere
possunt? v. 19. Quod gentiles de DEO cognoscunt, vel cognosce-
re possunt, in iisdem evidens est; Deus enim ipsis revelavit. Ergo
talis ~~magis~~ subiectiva ~~magis~~ objectivi erat evidenter in gentili-
bus, qualis iis à DEO revelata fuerat. Deus autem falsam notitiam
aut mendacium non revelat. v. 20. Ea enim, quæ in DEO invisibilia
sunt, utpote aeterna ipsis potentia & maiestas, pervidentur, cuvis
homini naturali in oculos illabuntur & itaclare in intellectum subje-
ctivè recipiuntur, si is creaturas inspiciat & vosmetipsa humanæ ratio-
nis subsidio consideret, ut considerare omnino potest, ut excusatio-
nem gentiles nullam habeant, si DEum, ita secundum potentiam i-
psius & maiestatem cognitionem, non honorent, aut gratias ei agant.
Quare v. 21: expendite gentiles, in quas tenebras vosmetipsi vos ma-
litiose conjiciatis. Cognoscitis & scitis subiectivè, quis sit Deus,
nostris

novisisti ut digitos vestros ipsius maiestatem & potentiam. Deus enim vobis id per ipsam creaturarum inspectionem tam evidenter revelavit, ut excusare vos non possitis, quasi id ignoretis; quare, *dum cognoscitis DEum*, dum scitis ejus potentiam & maiestatem, cur non ut DEum, maiestatem ejus reverendo, & pro quotidianiis beneficiis ei gratias agendo, colitis? Cur potius per malitiam ita occaecatis corda vestra, ut contra rectam veramque à DEO natura vestra inditam & revelatam notitiam vestram, *vani facti sitis in cogitationibus vestris* & creaturas loco DEI adoretis? Obscuratum est insipiens cor vestrum, ut quæ per naturam videtis, per malitiam non videatis & sapientem DEO cultum vos offerre, idola colendo, putetis, cum revera stolida sit hæc & contra ipsam naturam, *dummodo vnde dixi* & rem altius considerare velletis, tendens perswasio. In hac paraphrasi omnia liquida sunt, nihil coactum aut à contextu alienum.

§. XI. Superfunt aliqua in Disputatore lineola, quævarum consideratio transmittenda nobis non est. Ceteroqui, ait, *nempe ex posto uno eodemque fundamento & gentes dicuntur non novisse DEum per lumen naturæ*, I. Thess. IV. 5. & *Judei Scripture lumine instruci negantur à Christo se & Patrem suum novisse*. Job. XVI. 3.

§. XII. Hæc ita pro auctoritate scribuntur, ut creduli illi-
cò persuadeantur, utrobiqve negari & gentilibus & Judæis, illis no-
titiaæ ex natura, his ex Scripturâ haustæ veritatem, idqve ex eodem
fundamento, quia & gentiles & Judæi non fuerint regeniti. At vero
poteritne Disputator hujus suæ, tam confidenter simplicioribus inge-
stæ interpretationis auctorem, Theologum vel unum ex omni Chri-
stianorum ætate producere? Cui unquam illa venit in mentem?
Quomodo Apostolus dicere potuit, gentiles non novisse DEum per
lumen naturæ, cum hoc totidem verbis asseruerit: *quod de DEO co-
gnosci potest, manifestum est in gentilibus*, quia Deus ipsis hoc ma-
nifestavit per naturalem creaturarum inspectionem? Annon hoc est
nosse DEum hominem irregenitum per lumen naturæ? Quomodo di-
cere idem potuit Apostolus, Judæos irregenitos non novisse ex Scri-
pturæ lumine DEUM Patrem & Christum, cum id totidem verbis le-
gerint quotidie in Scripturis? Quid solennius fuit apud Judæos
nominibus DEI Patris & Messiae sive Christi, quæ non poterant, nisi
ex Scriptura haurire? Intellige igitur in primo, qui obvertitur, loco
planè

planè contrarium, nempe gentes non novisse DEum per lumen nō naturæ, sed Scripturæ, in quod si oculos suos intendissent, manifestius deprehendere impietatem lascivientium suarum impuritatum, de quibus ibi loquitur & quibus fuerant dediti, potuisse, asseverat Apostolus. Sed quid opus est huic Scripturæ loco immorari, quem contra Hoffmannum omnes Scripturarum interpres, omnesque vel Systematum vel tractatuum de notitiâ DEI naturali scriptores, quod non ignorabat, dum illa tam confidenter contra omnes Ecclesiæ nostræ doctores scriberet, Disputator, ab impacto ei sensu vindicarunt? Intellige in altero loco, Judæos neque Christum novisse neque Patrem juxta specialem illam rationem, qua in veteri T. sese revelaverat, inque N. T. operibus verè Divinis confirmaverat, quâ est Pater ab æterno generans & Filius in tempore ex virginе natus, quod ex V. T. testimoniis, si debitam adhibere diligentiam voluissent, cognoscere & irregeniti Judæi potuissent. Joh. V. 39. Poterant præterea Judæi ex operationibus Filii Divinis eundem à Patre missum esse infallibiliter cognoscere, Joh. V. 36. quam tamen notitiam malitiose represserunt, Joh. VII. 28. 29. 30. Haec tenus itaque dici possunt ignorasse Patrem & Filium, non vero quod irregeniti essent. Quæ conquista ex malæ causæ desperatione glossa in mentem venire CHRISTO non potuit.

§. XIII. Ita veritatem notitiarum naturalium, ex v. 18. capituli epistolæ ad Romanos primi exsplendescerent, adversus Disputatorem vindicavimus. Nam quæ ad reliqua capituli, quibus thesin à nobis defensam roboravimus, regerit, ne hæc disputatio excrescat, alii occasione reservanda sunt. Aperi, ô DEus, oculos iis, qui eosdem adversus veritatem claudunt, ut videant, quæ & incredulis revelaveris cum in finem, ut ad majorem lucem adspirent
& per eandem, in cordibus ipsorum receptam,
æternum salventur!

F I N I S.

Ad

Ad

Nobilissimum & Clarissimum
DN. JVARUM BARFOTHIUM,

Amicum & Auditorem meum indefessum,
Philosophia Candidatum.

Cum ad has oras accederes, Optime Barfothi, patriam Tuam reliqueras, omni felicitatis, genere adfluentem. Pace enim frubeatur, quæ omnium bonorum est promptuarium. Interea verò infelici bello implicita, fortunæ pristinae non exiguum passa est dispendium. Tu verò quo majus ei periculum fata minitabantur, quoque funestiore calamitate propria familia Tua, capite suo orbata, adficta est, eo majore conatu, impetu, contentione Tute in omne bonorum studiorum genus exarsisti. Vidi Te qvotidie in ædibus meis, laudarunt industriam Tuam omnes, in publicum quoque nunc progrederis, ut quantum profeceris, & Academie nostræ & patriæ testeris. Ut nempe rebus familiæ Tuae adfictis singulare solarium & patriæ, ô utinam brevi ex præsentí periculo respiraturæ, spem indubitatam adferres, quâ per Te quoque recipere salutem & ædificari posset. Fauxit DEus, ut voto nostro felicissimus respondeat eventus, Tu verò vale optime, cum patriæ Tuae incomparabili lumine, MATTHIA STEUCHIO, Scaniæ Episcopo, Filiusq; ejus excellentissimis, qvibus digna virtutibus ipsorum facta apprecaberis.

Scr. VII, Aug. A. MDCCX.

Disputationis
P R A E S E S.

Nobi-

Nobilissimo ac Clarissimo
DN. RESPONDENTI,
Fautori & Amico suo honoratissimo,
S. P. P.
Z. GRAPIUS, D.

Cum studia & virtutes omnino laudem mereantur ac præmia, nec tu Fautor. Clarissime! sine encomio, sine brabeis dimittendus eris. Amplissimus SOPHORUM Ordo studia tua probat ac virtutes, iisdemque debitas necnit coronas, summosque in Philosophia tibi mox conferendos meditatur honores. Pariter nunc quoque studia tua Theologica commendare pergis, Cathedramque publicam ascendens arduum aliquod thema Theologicum ventilationi publicæ exponis, quo sic studia laudanda tua nunc & aliis innotescant. Virtutes tuas, probum sedatumque vitæ genus nōrunt, probantque pariter omnes, quibuscum conversaris. Gratulor Tibi, Amice Optime! de hisce bonis omnibus animitur. Augustissimum illud Numen, auctor & dator ille omnis boni, bonitatis suę thesauros porro appetiat, suaque dona ex iisdem in te conferat & ulterius largissima, in æterni sui nominis gloriam, Ecclesiæque ac orbis literarii decus ac emolumentum. Nec desint Patroni, quorum favore & theologia tua studia suo tempore coronentur ac promoveantur. Tu interim Fautor ac Amice Optime in Domino vale, faveque

Dabam Rostochii d. 9.

Claritatis T.

August. 1710.

Additiss.

Præcellentissimo atque Doctissimo
DN. RESPONDENTI,
S. Theol. Cultori & Philosophia Candidato
dignissimo,
Fautori atque Amico suo honoratissimo, certissimo.

Controversia de Theologia irregeniti haecnus inter orthodoxos & Pietistas agitata non verbalis, aut ad λογοαρχιας, ut quidem nupere visum est Alberto zum Gelden/Academiae Kilonensis

loniensis Professori ; referenda est, sed maxime realis , qvæ ipsum
Cor aut centrum Theologiae tangit. Qvam late enim gratia divina
patet, tam late etiam sese hæc materia in fidei articulos qvam pluri-
mos diffundit, adeoque ut illi, qui à Pietistarum partibus stant, non
possint non, ut ut inviti, gratiae divinae hostes esse, aut qui contro-
versæ momentum, qvod tamen omanino magnum, extenuant, vel
ignorantiam, vel malitiam Theologis prorsus indignam satis aperte
prodant. Mirum adeo nemini debet videri, pietisticam opini-
onem ab hujus Sectæ Antesignanis in hunc usq; diem non sine animo-
rum motu propugnatam esse; in illa enim totius Pietismi fundamen-
tum est positum, qvod, ne tota superstructa moles corruat, destru-
haud pati possunt; hiac pro illo tanquam pro aris & focis militant, si
non argumentorum ponderibus, hisce enim, ut ut illa se plurima &
invictissima habere thrasonice jaçtent, destituantur, multis tamen
convitiis, qvæ recensere, aut notare hujus non est loci. Qvo magis
vero huic generali praesidio confidunt, eo major hic adhibenda cura
est, qvo è latibulis, qvæ ad incitas redacti anxiè qværunt, protra-
hantur & ab omnibus nudi conspiciantur. Atq;e hoc singulari prot-
sus operæ ac studio in aliquot cruditissimis scriptis, qvæ Pietastis
fides in oculis sunt, magnus hujus Academiæ Theologus, Summe Ve-
nerabilis Dn. D. FECHTIUS, noster in Christo Pater filiali sub-
missione prosequendus, cuius merita, qvot qvot Ecclesiæ nostræ bene
cupiunt, sincere venerantur, praestitit, cuique propterea ex lege haud
fucatae pietatis immortales debentur grates, sicuti & illi, qui hac-
tenus suos huic præclarissimo & auro cariori operi sumptus impen-
derunt, summas promeriti sunt laudes. Qvum etiam Tu Præcelerat-
tissime Dn. Respondens horum jam in numero esse cupias, qui sub-
stanti Theologi praesidio veritatem vel Solis radiis in sacro Codice
scriptam & à sanâ ratione comprobatam omnium cum adplausu tuiti
sunt & à Strophis contradictiorum vindicarunt, uberrimam certe
gratulandi copiam vel ipsem letitias. In laudes eam ob causam
tuas prolixissime excurserem, nisi modestia singularis, qva te præ-
ditum esse omnes norunt, qvibus hac tenus innotuisti, prohiberet.
Eruditionis tuæ haud vulgaris & sincere pietatis testes habes omni ex-
ceptione maiores, Viros Magnis. & Summe Rev. Dn. D. FECHTIUM,
Præsidem tuum gravissimum, Dn. D. GRAPILUM Animæ tuæ Curato-
rem vigilansimum & Dn. D. KRAKEVITZIUM, Præceptorem fidei

lissimum, qvibus &c meum qvalecunqve testimonium, pio tuo desiderio satisfacturus, in sinceri amoris monumentum lubentissime addo, sub juncto voto devoto: Faxit Benignissimum Numen, à cuius nutu omnia dependent, ut eruditonis tuae, cuius nunc specimen edis, & honoris magisterii, qvem propediem Tibi Amplissima Academiæ hujus Facultas Philosophica collatura est, fructus percipias uberrimos in Ecclesiæ Reique litterariæ emolumentum, Patriæ valde proh! afflictæ solatum, Matri tuorumqve gaudium fese diffundentes. Vale in Domino & hujus causam, ubi occasio data fuerit, strenue age.

*Raptim inter varias
occupationes*
Rostochii e museo
meo d. 7. August.
A. M DCCX.

*T. Prezell. Dignitati
Addictissimus*

GEORG. FRID. NICHENCK/
Phil. & S. Theol. Doctor, Ecclesiæ Teutonicae, qvæ Malmoæ Scanorum J. C. colligitur, vocatus Pastor Prim.

MONSIEUR

*Mon tres honore Frere, & tres cher
& intime Amj.*

Vous avés enterpris, de faire revivre non seulement les merites de feu Monsieur votre Pere, qui brillent come des etincelles dans votre rare genie, mais aussi de faire voir au public les talents excellens & les progrés merveilleus que vous avés faits par vos études continues & infatigables, par lesquelles vous allez vous acquerir une place sur le Parnasse, qui ne sera pas des plus basses, je vous y felicite de tout mon Coeur, come celui de vos amis & freres, qui de sa jeunesse a eu le bonheur de votre connoissance, & de joüir de votre amitié & tendresse; souhaitant que le Ciel fasse réussir vos dessins, principalement à la gloire du Grand Dieu, à l'honneur de votre famille & de vos parens, come aussi au bien de notre chere Patrie, à fin

fin qu'elle ait bien tôt occasion de vous faire à votre promotion des
guirlandes, des fleurs de vòtres erudition. Je vous demande mille
pardons, que par de certaines raisons je ne Saurois vous temoigner
ma joie plus amplement, & d'une autre maniere, que par ce peu de
mots Francois, étant persuadé, que vous nén êtes déjà que trop assuré;
& j'espere encor de trouver les moyens de vous faire voir en secret, na
le pouvant à cette heure, en public, avec combien de sincerité & de
tendresse je suis

Monsieur

Rostoc ce 8. d^e

Aôut 1710.


Votre très humble, tout acquis & très affe-

ctionné Frerë & Serviteur

C. G. BECKMANN, Svedois.

Coronam qui victoriae reportare cupit, legitime
certet oportet. Recte hic omnino facis Nobis
lissime atque Doctissime Domine Conterraneum,
quod coronam victoriae in bello literario ambiens, cum
literatissimis Dominis commilitonibus tuis descendas in
arenam, atque non solum iis sed etiam Excellentissimis
atque præstantissimis Dominis Præceptoribus atque Pa-
tronis tuis imo toti nostri universitati & ut amplius di-
cam, universo orbi literato, invictis demonstres spe-
ciminibus, te non ignaviae, sed Minervæ nunquam
non litasse. Maecte Ornatissime Amice! hic virtute,
contende semper per angusta ad augulta, per aspera ad
astra, sic corona plenariae victoriae non dubia sed cer-
tissima existet. Adsistat summum Numen cunctis tuis
conatibus, illosque dirigat ad sui gloriam, Ecclesiæ
commodum, Parentum gaudium, proprium ornamen-
tum. Id quod animitus vovet

CARL ADAM LEOPOLD,
Schania Svecus Medicin. Stud.



00 A 6321




3

Sl.

Fl. 82

102





VERITAS IN INJUSTITIA DETENTA, DISSERTATIONE

Ad Locum Apostoli, Rom. I. vers. 18.
EXCUSSA & DILUCIDATA.

Qvam.

DEO BENIGNE ANNUENTE,
CONSENTIENTE R. FACULTATE THEOLOGICA,

PRAESIDE
JOANNE FECHTIO,

D. & P.P. CONSISTORII SER. DUCIS CONSILI-
ARIO & DISTR. ROSTOCH. SUPERINTEND. FAC.

THEOL. SENIORE,

PRAECEPTORE SUO FIDELISSIMO & AEATATEM
VENERANDO,

Aeqvis differentium judiciis examinandam
proponet

AD DIEM AUGUSTI MDCCX.

JWARUS HILARII BARFOOTH,

SCANIA-SVECUS,
PHILOSOPHIAE CANDIDATUS.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss. Sen. Typogr.